



bero ac consulto: consulto sane ut agam
prudenter ac provide: haud quaquam ut
agam libere; ad hoc enim praeter ani-
mae vim sese determinandi ac eligendi
sufficit repraesentatio boni. Quare si
qua consultatio a me instituatur, ita a
me instituitur, ut omitti posset, pendet-
que a voluntate velut actus imperatus,
voluntarius, ac liber: delibero igitur
libere, non ut libere velim, sed ut vera
bona ita libere velim, ut volitiones meas
mihi ex se liberrimas ad rationis prae-
scriptum conformem; id quod sin ali-
ter a me fieret, imprudenter agerem:
an vero qui imprudenter agit, propter-
ea non agit libere?

C A P U T III.

UNDE EST ANIMUS MEUS?

I. **M**agnum bonum animus, Spiritus
intellectu, voluntate, libertate
praeditus. Unde tanta mihi prae caete-
ris entibus existentibus, vegetantibus,
sentientibus, sola materialia cognoscen-
tibus & appetentibus praerogativa? ex-
isto: cur non existo lapis, planta, bru-
tum? spiritus sum, rebus omnibus quas
extra me alias sensuum ope cognosco no-
biliores. Quis spiritum tam nobilem mi-
hi concessit? quis eum dotibus tam ex-
celsis, facultatibus tam sublimibus in-
struxit, exornavit? Eja anima mea edif-
sere